

August. Confessione comprehensam, sive congregationem
exteriorem, est vera Ecclesia.

VI. Romana Ecclesia non est vera Ecclesia; in Ro-
manâ tamen Ecclesiâ hodiernâ quædam membra sunt veræ
Ecclesiæ; in Romanâ autem Ecclesiâ ante Lutherum inte-
græ etiam veræ Ecclesiæ partes fuerunt.

VII. Romana Ecclesia quoad verbi Divini, alienam à
glossis, propositionem & administrationem Baptismi, quod
ad essentialia ejusdem spectat, non est nulla Ecclesia.

VIII. In Rom. Ecclesiâ, quâ tali & ut est Lutherana
quoad doctrinam opposita, vi hujus doctrinæ nemo salva-
ri potest.

IX. Non negant, nec negare possunt Pontificii, in
iplâ Lutherana Ecclesiâ plurimos salvari.

X. Romana Ecclesia Catholica dicenda non est, ar-
gumento loci II. Cor. XI. 5. 12. Qui è nostris Romanos Ca-
tholicos appellant, eodem id sensu & libertate faciunt, quâ
Judæos vocamus Judæos, Apoc. II. 9. Lutherani verò æ-
grè non ferunt, si non dicantur Catholici, quamquam verè
sint Catholici, quia nec DEus ægrè tulit, si dictus non fuit
Dominus, quamquam verè fuerit Dominus. Os. II. 16. 17.

XI. Lutheranam Ecclesiam Babelis infamiâ non no-
tant, nisi qui ipsi confundere in eadem omnia adlaborant.

XII. Si tamen exterior illius status in quibusdam lo-
cis ita corruptus esset, ut graviolem etiam appellationis
censuram mereretur, exemplo urbis Hierosolymitanæ, Es.
I. 21. Ezech. XVI. per tot. tamen separatio, ut sanctius vivi
possit, instituenda non est, sive à toto Ecclesiæ corpore, si-
ve à parte ejusdem, aut per conventus privatos, aut per
instituta clancularia collegia alia, schisma tandem inducen-
tia. Ephes. IV. 1. f.

Diff. XLVI.

De

Conciliis.

H 3

I. Nul.